





A large, ornate, gold-tooled monogram is positioned below the emblem. The monogram consists of three interlocking letters, which appear to be stylized initials, possibly "J", "B", and "P". The letters are intricately detailed with gold tooling, creating a prominent decorative element on the book cover.




John Carter Brown.



See note on fly leaf of Catalogue ed.





Maximiliani Transylvani Cæsaris
a secretis Epistola, de admirabili
& nouissima Hispanorū in Orien-
tem nauigatione, qua uariæ, & nul-
li prius accessæ Regiones inuétæ
sunt, cum ipsis etiā Moluccis insu-
lis beatissimis, optimo Aromatū
genere refertis. Inauditi quoq. in
colas & mores exponuntur, ac mul-
ta quæ Herodotus, Plinius, Soli-
nus atque alii tradiderunt, fabulo-
sa esse arguunt. Contra, nonnulla
ibidē uera, uix tamen credibilia ex-
plican. quibuscum historiis Insu-
laribus ambitus describit alterius
Hemisphaerii, qua ad nos tandem
hispani redierunt incolumes.

ROMA



REVERENDO DOMINO
IOANNI MATTHAEO
GIBERTO

S . D . N . DATARIO

F . Minitius Calvus . S . P . D .

JOHN CARTER BROWN

Nauigatio illa , quam superioribus annis Lusitani , Hispa
nique ulteriores , quos Castellanos dicunt , inuenere , cum
& laude & admiratione semper digna fuerit , quippe quæ
alterum pene orbem maioribus nostris antea incogni-
tum , uariasque Regiones ac diuersos horum mores
nobis aperuit , Europæ complura commoda attulit . nun
quam tamen admirabilior fuit , quam cum una ex quin-
que Nauibus iussu Caroli Ro . Imperatoris Augustissimi ,
Hispaniarumque Regis in eam nauigationem profectis ,
in extremum Orientem ad eas usque Insulas penetrauit ,
ubi pretiosiora nascuntur Aromata ; quæ inde in cogni-
tis prius itineribus Calichutiū importantur , ad aliaque
Orientis emporia . deindeque illa ipsa nauis audacius ne-
scio an felicius , circuito sub Hemisphærio nostro Ocea-
no , in Hispaniam reuersa est . huius autem diuturnum
iter , incredibilemque Orbis circuituonem Maximilie-
nus Transylvanianus Cæsar is a secretis Reuerendissimo . D .
Cardinali Saltzburgenſi fideliter & accurate longiore
Epistola perscripsit . Quam ad me (ut eius est humanitas)
misit Franciscus Cheregatus Antistes Aprutinus & Te-
rani Princeps , quum abhinc Annū , in amplissimo

A ii

conuentu Nurenbergensi Orator esset Pontificius. Cum
igitur epistolam ipsam ex recenti Chalcographia no/
stra emissurus essem , quod in ea multa sint cognitu non
indigna, Nulli alii eam potius dicare debui quam tibi Gi/
berte Opt . siquidem tu beatissimo Pontifici Clementi
vii.nuper diuinitus electo, Pont. inquam uere Opt . Max.
ut semper fuisti , merito es Carissimus . in administratio/
neque eidem crediti Orbis,tu in primis & quod ipse iusse
rit, strenue semper efficis sapienterq; , & quod ad eius glo/
riam & Immortalitatem pertinet; id quod modestissime
facis,ultra suppeditare consueisti . Quare tibi præ cete/
ris intelligendum censeo si qua Orbis pars temporibus
nostris , ut sic dixerim,in lucem prodeat , ut eo quoque
Christianæ Religio, Romani que Pontificis authoritas tua
etiam opera propagetur , atque de tanto hoc Pontifice
Virgilianum illud merito usurpari possit.

Augustus Clemens diuum genus , aurea condet
Sæcula, qui nuslus Latio regnata per arua
Saturno quondam, super & Garamantas & Indos
Proferet Imperium, iacet extra sydera tellus
Extra anni, solisque uias, ubi coelifer Atlas
Axem humero torquet, stellis ardentibus aptum.

Eo accessit, quod omnia quæ a me profiscuntur , quam
uis exigua , non minus tibi iure debentur , quam Domini/
nis quæ serui acquisierint. Ego etenim pro maximis & in


numeris tuis Virtutibus, & in me collatis beneficiis te iam
diu Dominum agnoscere , ac non modo meum sed bo/
norum & doctorum omnium Mæcenatem colere & ob/
seruare institui. Quin etiam id mihi commodissime eue/
nisce arbitror , Nam tibi , tum de tuae dignitatis accessio/
ne, tum uero de publica hac orbis hilaritate gratulaturus,
cum sine Xeniolo aliquo litterario quod iis rebus pluri/
mum delectari soleas, te adire in dignum , mihi que turpe
putarem,hæc ipsa se obtulit Epistola , qua dum aliquid
te dignius paro , interim meo qualicunque defungi pos/
sem officio.

Vale .

Calvus Lectori.S.

Scio te hūanissime Lector, nō adeo leporē oratorios, & ue
nustates quæ siisse ex Epistola Maximiliani, quam res ip/
fas de quibus scripsit ille accuratissime in publicam utili
tatem, uoluptatemque eoruī, qui non contenti contem
platione Regionum quas incolunt, euolant animo lon
gissime, latissime que, & quæcumq; mente uidere quod ocul
is nequeunt cernere. hoc suppeditat Transylvanus doctif
simus talia discere cupientibus. lenocinia & illecebras ora
tionis hic nō admodum amauit, quippe cui satis fuit rem
syncere & fideliter explicare. librarii autem negligentia
factum est qui Epistolam hanc descripsit, unde ego im
primendam accepi, ut aliqua homines offenderent deli
catos, non te lector eruditissime, qui aliunde facundiam
tibi parasti. & hinc tantum quæreris cognoscere terrarum
partes nulli unquam prius cognitas. Vale. tibi q. Musæ
sint felices.

QVISQVIS ES, SIVE IMPRESSOR,
siue Bibliopola, caue libellum hunc,
aliosiue quoqslibet in Francisci Minitii
Calui officina libraria primum excu-
sos, excudendosie, intra proximum
decennium uspiam gentium impri-
mas, uel ab aliis temere forsan impres-
sos uendas. hæc enim seuerissimo edi-
cto uetuit bonarum artium fautor Cle-
mens. VII. Pont. Max. quique secus fe-
cerint, eos non modo in singula uolu-
mina denis aureis mulctari, uerum &
Christianorum commercio, atque
aqua, & igni interdici uoluit.
Vale. & uide, ne iniuidus negotium
tibi facefas, bene memor nullam
ESSE SCELERVM IMPVNITATEM.



M A X I M I L I A N V S C A E S A R I S
I N V I C T I S S I M I A
S E C R E T I S

Reuerendissimo.D.D.Mathæo Cardinali
Salzeburgensi. . S . P . D .

E D I I T H I S D I E B V S
una ex quinque illis nauibus , quas Cæsar superio
ribus annis du Cæsareæ Augustæ effet , in alie
num , & tot iam sæculis incognitum orbem mi
serat ad inquiréendum Insulas in quibus Aroma
ta proueniunt . Nam licet Lusitani Portugallenses ex au
rea Chersoneso , quam nunc Malaccham putamus , ma
gnam Vim eorum ad nos deferant nihil tamen Indiæ il
læ suæ præter Piper gignunt . Reliqua enim ut Cynamo
num , Cariophilum & Myristicam nucem quam musca
tam , & experimentum eius quod florem Muscatæ uoca
mus , ad suos Indos ex longinquis , atque adeo nomine tan
tum cognitis insulis aduehi certū est . Nauibus nullo fer
ramento sed Palmarum foliis duntaxat compactis , qua
rum uela rotunda sunt , & hæc quoque ex uimine palma
rum contexta . Hoc genus nauium Iuncas appellant , Vni
co tantum uento , secù do aut aduerso agi solitas . Nec mi
rum , quum hæc omnibus sæculis nostris mortalibus in co
gnitæ fuerint , nam quæ cùque haftenus de Aromatum hu
iusmodi nativo solo a priscis authoribus prodita legi
mus , partim prorsus fabulosa sunt , partim a ueritate tam
aliena , Ut etiam regiones illæ , Vbi ipsi Aromata gigni

B

prodidere, ab his locis ubi nunc ea nasci cōpertum est,
paulo minus distēt quam nos ab eis seiungimur. Nam ut
reliqua omittā, Tradidit Herodotus alioqui clarissimus
Author Cynamomum in auium nidis reperiri, in quos
uolucres illud ex longissimis regionibus, & præsertim
Phoenix cuius Nidum, nescio quis unquam uiderit, detu-
lissent. Plinius uero qui certius aliquid afferre posse sibi ui-
debatur, q̄ iam ante ætatem suam, tum Alexandri Ma-
gni, tum aliorum Classib⁹ multa illustrata fuissent, tra-
dit Cynamomum gigni in Aethiopia Trogloditis con-
nubio commista, quum nunc cōpertum sit Cynamo-
mum longissime ab omni Aethiopia gigni, & maxime
Troglodytarum, hoc est speluncis subterraneis habitan-
tium, Nostris autē qui nunc rediere, quibus nihil tam co-
gnitum erat quam Aethiopia, necessarium fuerit prius/
quam has insulas repererint, & huc redierint, uniuersum
orbem, idq; sub amplissimo plerunq; Parallelō circuire.
Quæ nauigatio quum & admirabilis, & nostra superiorū
ætate ulla non modo non inuenta, sed nec unquam ten-
tata fuerit, Statui cursum eius & totius rei seriem ad. R.D
T. quam uerissime scribere. Curaui enim mihi, & a duce
classis, & a singulis nautis, qui cum eo rediere, referri om-
nia diligentissime. Retulerunt autē & Cœsari, & aliis mul-
tis singula equidem, ea fide & synceritate, Ut non modo
nihil fabulosi afferre, sed fabulosa omnia alia a ueteribus
authoribus prodita, refellere & reprobare, narratione sua
uiderentur. Nam quis Monoscelos, seu Sciopodas, Scy-
ritas, Spitamæos, Pygmæos & multa huiusmodi mōstra
potius, quam homines esse crediderit, quum & a Castel-
lanis in Occidente per meridiem, & a Portugallensibus

in Orientem uelificantibus, tot loca ultra Tropicum Ca
pricorni quæ sita, inuēta, lustrata fuerint, ab his autem no
stris reliquias uniuersus Orbis nauigatione peragratus sit,
neque tamen unquam de huiusmodi Monstroſis homi
nibus certi quicquam audiri potuit, credi debet ea om
nia fabulosa, & mendacia esse anilia, nullo certo Autho
re per manus quodammodo tradita. Sed ne ego, cui to
tus nunc Orbis peragrandus est, in narrationis meæ ex
ordiō nimium digrediar, ad rem uenio.

VM hinc ante annos fere triginta Castellani in
Occidente, Portugallenses autem in Oriente,
nouas atque incognitas terras perquirere coe
pissent, ne alter alteri impedimento essent,
partiti sunt duo ii Reges inter se terrarum Orbem, sum
mi Pontificis puto Alexandri Sexti authoritate, hac ra
tione, ut ab Insulis Hesperidum, quas nunc Proton/
torii seu Capitis uiridis appellant, recta in Occidentem
Trecentum sexaginta milliaria quas Leucas uocant, li
nea uersus Arcticum, & altera uersus Australem Polum
protenderetur, quo ad rursus coirent, Orbemque in du
as partes æquales diuiderent. Et quicquid incognitæ ter
ræ in parte Orientali detegeretur, hoc Portugallensibus
cederet, quicquid in Occidentalí, Castellanis. Hinc fa
ctum est ut Castellani per meridiem in Occidētem sem
per nauigauerint, & ibi continentem terram amplissi
mam, Insulas uero maximas & innumeras Auri & Mar
garitarum, aliarumque opum diuites, & nunc postremo
ingentem Vrbem mediterraneam Themistitan in la
cu quodam, Venetiarum more sitam inuenerint. de qua

multa & magna, uera tamien, Petrus Martyr memoriæ
prodidit, Author circa rerum fidem, quam elegantia
sermonis accurior. Portugallenses uero per meridi-
em, & littora Hesperidum, Ichthiophagorum Aethio-
pum æquinoctialem & Tropicum Capricorni prætereun-
tes in Orientem nauigauerunt, & multas, maximaq; & pri-
us in cognitas Insulas atque adeo Nili fontes & Troglody-
tas inuenierūt. Illuc per Arabicum & Persicum sinūs in In-
diæ littora intra Gangem, ubi nunc maximum Empori-
um, ibidem & Regnum est Calichuticum, delati sunt.
Hinc ad Taprobanem quam nunc Zamataram uocant,
nauigauerunt. Nam ubi Ptolemæus, Plinius & reliqui Co-
smographi Taprobanem posuere, nulla nunc est Insula,
quaæ ulla ratione, ea esse credi possit. Inde ad Auream
Chersonesum Vbi nunc Malaccha Celeberrima Vrbs &
maximum Orientis Emporium situm est, perueuerunt. Ex
hac, sinum magnum ingressi sunt, ad Sinarum usque po-
pulos, quos nunc Schinas uocant, Vbi candidam gentem
& ciuilem satis repererunt, Germanis nostris similem. Cre-
dunt Seres & Scythes Asiaticos eo usque protendi. Et li-
cet incertus quidam rumor peruagaretur Portugallenses
in Orientē eo usque progressos ut limitibus suis transcen-
sis, in Castellanoꝝ terminos uenirent, Malaccham etiam
& Sinum magnum intra nostros fines contineri, Omnia
tamien dicta potius quam credita fuere, Donec ante qua-
driénium Ferdinandus Magellanus Portugallensium uir
clarus, & qui multos annos Portugallensium nauium præ-
fectus oras totius Orientis peragrarat, in odium Regis sui,
qué in se in gratissimū q̄rebat, ad Cæsarē uenisset, & Chri-
stophorus Hara frater socii mei q ex Vlyssipone quā

Lisbonam uocant , per suos multis annis in Oriente illo
& tandem cum Sinarum populis mercaturam fecerat, Ita
ut earum rerum magnum usum haberet. Is quoque iniuria
a Portugallensium rege accepta, se in Castellam patriam
recepit, ut Cæsari ostenderet nondum quidem satis com-
pertum, utrum Malaccha Castellanorum finibus, aut Por-
tugallensium, contineretur, propterea quod haec tenui nul-
la certa longitudinum ratio inueniri potuisset, satis tamen
constare Sinum magnum & Sinarum populos ad Castel-
lanorum nauigationem pertinere. Hoc item haberi longe
certissimum, Insulas quas Moluccas uocant, in quibus A/
romata omnia gignerentur, & unde in Malaccham uehe-
rentur, in Occidente Castellanorum contineri, posseque
ad illas nauigari & inde aromata facilius minoreque im-
pensa & pretio, tanquam ex nativo solo in Castellam de-
portari. Ratio nauigationis erat, ut ex Occidente subter in
ferius Hemisphærium in Orientem usque nauigarent.
Res pene ardua, & uana uisa est, non quod graue existima-
batur restar ex occidente in orientem subter Hemisphæ-
rium uehi, sed quod incertum esset, utrum ingeniosa natu-
ra quæ nihil non summa cum prouidentia constituit, Ita
Orientem ab Occidente, partim mari, partim terra distin-
xiisset, Ut hoc itinere & nauigationis cursu, ad Orientem
perueniri posset. Non enim compertum erat, Vtrum illa
ingens Regio quam terram firmam uocant, occidentale
mare ab orientali disternaret. liquebat Continentem il-
lam ab austro in meridiem, & inde in occidentem uerge-
re, Repertas etiam ad septentrionem regiones duas, qua-
rum alteram Bacclearum a nouo genere piscium, Alte-
ram Floridam uocant, Quæ si terræ huic firmæ Coniun-

gerentur, nequaquam ex Occidente in Orientem posse deferri, cum nihil de freto aliquo huius terræ, quod transiri posset, licet diligentissime magnisque laboribus pergitum, nūquam tamen inuentum esset, p Portugallensium autem limites, & Orientem, rem incertam & longe periculosisssimam dicebant. Qua de re Cæsari & suis uisum est, eos quidem rem, ut magnæ spei, sic maioris difficultatis polliceri. Cumque uterque in diem duceretur, obtulit Magellanus sese iturum. Christophorus autem impensis suis, & suorum Classem instructus, dummodo authoritate & auspiciis Cæsaris nauigare liceret. In quo dum obstinatus persisterent, parauit Cæsar ipse Classem quinque nauium, & huic Magellanus dux præficitur. Mandata erat, ut ad littora terræ firmæ uersus Austrum nauigarét, donec illius Regionis aut finem, aut fretum aliquod inuenirent, per quod ad Odoriferas illas Moluccas perueniri posset.

Soluit itaque Magellanus die decimo Augusti Anno. M. D. xix. quinque nauibus ex Hispali, unde paucis diebus, ad insulas fortunatas, quæ nunc Cannariæ passim undique appellantur, Ventum est. ad Hesperidum inde insulas peruenere, a quibus cursum suum inter Occidentem & Meridiem, uersus Continentem illam, quam supra memoria uimus cepere, ac intra certos dies felici nauigatione Promontorium detexere, cui sanctæ Mariæ nomen inditum est, Vbi Ioannes Ruy dias Solius nauium præfetus, dum iussu regis Ferdinandi Catholici littora huius continentis classe peruagaretur, ab Antropophagis, quos Indi Canibales uocant, cum aliquot sociis commestus fuerat. Hinc nostri perpetuo cursu, huius continentis littora le-

gere, quæ longissimo Tractu in Austrum (quem nunc plaga
m sub Australi polo appellandum) & paululum ad Oc-
cidentem uergentia protenduntur, ita Tropicum Capri-
corni ad multos gradus transcenderunt, sed non tam facile
quam dixi. Sunt enim ultimo Martii sequentis anni dela-
ti ad sinum cui. S. Iuliano nomen imposuere. Hic polum
antarcticum. xlxi. gradus super Orizontem suum illis ele-
uatum tam ex altitudine & declinatione Solis ab æquino-
ctiali, qua iam plurimum, & plusquam altero quo quis sy-
dere nautæ nostri utuntur, quam ex ipsius Antartici alti-
tudine deprehenderunt. Longitudinem uero a Fortuna-
tis insulis in occidente. Ivi. Gradus tradidere. Nam cum
prisci Cosmographi & præsertim Ptolemæus longitudi-
nes locorum a fortunatis insulis in Orientem usq; in Caty-
tigaram, Centum, & octoginta gradibus metirentur, Et
nostri quam longissime in Occidentem nauigauerint,
Coepere a Fortunatis insulis per occidentem, ut debue-
re, usque ad Catigaram, alios. clxxx. gradus designare. Ta-
men nostri nautæ propterea quod in tam longinqua
adeo que a terra distanti nauigatione longitudinū certa
signa terminosque sibi præfigere, designareque uon pos-
sunt, potius mihi in longitudinum ratione hallucinati,
quam quicquam certi attulisse uidentur. Attamen ea in-
terim qualiacunque, donec certiora reperiantur, non pro
sus rei cienda sed admittenda existimo. Sinus hic Va-
stus uidebatur & speciem freti referre. Quamobrem Ma-
gellanus præfestus duabus nauibus Sinus situm explora-
re iubet, ipse reliquas in alto anchoris firmat. Post bidu-
um relatum est sinum uadosum, nec longius in terram
produci.

Nostris in redditu aliquot Indos ad littora Conchylia legentes conspexere. Indos uocant omnium incognitarum terrarum indigenas. Erant procerae longitudinis palmorū scilicet decem, ferinis pellibus testi, fusciores quam regionis situs postularerat. Ad quos dum aliquot ex nostris in terram egredierentur, atq; illis Tintinabula, & Chartas Papyraceas depictas ostenderent, coepere nostros ad rume murmur & in conditum carmen circum saltantes salutare. Ut nostris sui admirationē facerent, demisere absq; nausea sesquicubitales sagittas per guttur ad Stomachi usq; fundum, quas protinus rursus extrahentes, quasi eare fortitudinem suam ostētassent, gaudere uisi sunt. Venere tandem tres tanquam legati & nostros signis quibusdam orarunt, ut secum longius in terram progrederetur, quasi essent eos omni hospitalitate excepturi. Mittit Magellanus cum his uiros septem bene instructos ut regionem & gentem diligenter, quo ad possent, indagarent. Hi cū eis ad mediterranea Regionis. vii. milliaria profecti sunt. Ventum est in desertum & inuium nemus. hic erat Tugurium humile admodum, & ferrarum pellibus cooperū. Due erant in eo mansiones, in altera mulieres cum prole sua, in altera uiri uersabantur. Mulieres & infantuli tredecim, uiri quinq; erant. Hic hospites ferali apparatu qui tamen illis Regius uidebatur, exceptere. Occisum est animal quod haud multum ab Onagris differre uidebatur, huius carnes semitostas nostris apposuere, Nullo alio Cibo neq; potu apposito. Nostris noctu præter morē sub pellibus cubare necessarium erat ob ingentem uim niuum & uentorum, quare priusquam dormirēt excubias dispensant. Idē & Indi faciunt, q; ad focū horribile aliiquid stertentes

sterentes prope nostros strati erant. Quum illuxisset no/
stri postulant ut cum omni familia, una secū ad naues re/
uerterentur, quod cū Indi illi diu negassent, & nostri hoc
imperiosius exigere coepissent, ingrediuntur uiri ferale
illud Gynoecium. Hispani arbitrati sunt eos cum uxori/
bus hanc transmigrationem consultare, Cū interim alii
quibusdam horribilibus pellibus a planta pedis ad sum/
mum ueitatem testi, facie uariis coloribus infecta, Ar/
cubus & sagittis ad prælium terribili & stupendo hoc ac
cincti ornata, & longe maioris quam antea statuæ in
aciem prodeunt. Hispani qui ad manus deueniendum
putabant, Pixedem emitti iubent, qui ictus & si irritus fu/
isset, egregii tamen Gigantes, qui paulo ante Iouem de/
bellaturi videbant, hoc sonitu adeo sunt deterriti ut pro/
tinus de pace loqui coeptum sit. Summa, ut tres uiri reli/
qua familia dimissa, cum nostris ad naues redirent. Itur
itaq; ad naues sed cum nostri non modo Gigantulorum
cursum, sed nec passus cursu æquare possent, duo ex his
ex itinere ad conspectū Onagri procul in monte pascen/
tis, quasi hunc insecuturi essent, fuga euasere. Tertius ad
naues perductus sed inedia quam sibi Indorum more, ex
tædio indixerat, intra paucos dies extinetus est. Et licet
præfetus nauium ad Tugurium illud remisisset, Ut de/
nuo unum aliquem Gigātem illorum caperent, quē pro
rei nouitate Cæsari afferret, nemo tamen inuentus est, sed
omnes una cum Tugurio alio se se transtulerant, unde li/
quet gentem illam quoq; Vagam. Nec postea nostri, li/
cet ad Sinum illum per multos dies ut infra memorabi/
mus, permanessent, Indum amplius in litore illo con/
spexere, Sed nec tanti etiam quicquam in regione illa esse

C

arbitrati quo & mediterranea illius longius scrutari debent. Et quanq̄ Magellanuſ animaduerteret longiorem mansionem illic inutilem eſſe, tamen quia mare aliquot dies fluctuosum, turbidumq; coelum eſſet, & terra continue ad Austrum uergeret, ut quo magis progrederentur, eo regionē frigidiorē inuenturi eēnt, diſceſſus neceſſatio de die in diem dilatus eſt, donec iā mensis Maius aderat, A quo illic asperrima hyems ſeuire incipit, atque adeo, ut iam noſtra æſtate ibidem hyemandū eſſet. Proſpiciens autem Magellanuſ nauigationem diuturnam fore, Cōmeatum inter ſuos, quo longius copia eius ſupppereret, parciuſ iubet diſtribui, Hispani ubi per aliquot dies rem æquanimiter tuliffent, hyemis quoq; magnitudinē, ac terre rigorem ueriti, orarunt tandem præfectum ſuū Magellanum, ut quoniam animaduerteret regionem illam perpetuo traectu in Austrum protēdi, nec ſpem finis illius, aut freti ſupereffe, Hyemē quoq; ſeuam imminentem & multos inedia, rerumq; in cōmoditate extinctos, ſeſe quoq; legem illam Sumptuariam quam tuliffent, diuitiis non poſſe ſuſtinere, Cæſareī autem nunq; eius aniſi fuiffe, ut quicq; obſtinatius tentari deberet, cui natura cæteræq; diſcultates obſtarēt, labores ſuos iam ſatis per ſpectos probatoſq; fore, Quī eouig; profeſſi iam erāt, quo nunq; illa mortalium audacia uel temeritas progreſſi auſa fuiffet, Poſſe autem facile, flante ab Austro uento, intra aliquot dies, ſi meridiem uerſuſ uelificarent, in maiorem aliquam plagam deſerri, uellet ab itinere incep- pto deſiſtere. At contra Magellanuſ cui iam decretum erat, aut mori, aut coepta perficere, Reſpondet ſibi a Cæſare curſum nauigationis præſcriptum, a quo neq; poſſe

set, neq; uellet ulla ratione discedere, & propterea eo usq;
que nauigaturum, quo terræ huius aut finem, aut fretum
inueniret. Quod & si hyeme obstante in præsentia præ/
stare non posset, in æstate tamen regionis illius rem faci/
lem fore. Siquidem ipsos tunc uersus Antarcticū terræ
eius tractum fecuturos, quo ad illis tota ea ætas unicus
& perpetuus foret dies, esse quoque modo uellent, unde
inediam & Hyemis in commoditatem leuarent, siquidé
lignorum magnam esse copiam, Mare conchylia, & ples/
raque genera piscium optimorum præbere, Fontes ibi
salubres, Aucupium quoq; & Venationē subuenire mul/
tis, Panem uero neg; uinum haftenus defuisse, neq; dein/
ceps defutura, dummodo ea ad necessitatem, & tuendā
salutem, non ad uoluptatem & luxum dispensare patian/
tur, Nihil autem haftenus astum, quod aut admiratio/
ne dignum, aut quo redditui necessitatem prætexerent. si
quidem Portugallenses non modo quotannis, sed quoti
die fere tropicum Capricorni quum in Orientem pene/
trarent, nullo negotio ad. xii. usque gradus transcende/
re, se autem quantula laude dignos existimandos, qui
quattuor nō amplius gradibus in Austrum processissent,
Sibi certe hoc statutum, ante se extrema passurum, quam
Hispaniam cum ignominia repetitum, credere que fo/
cios omnes aut saltem eos in quibus generosus ille His/
panorum spiritus nondum prorsus esset extintus, eius/
dem quoquæ animi esse, illud itaque duntaxat horta/
ri, ut reliquum Hyemis æquo animo sustinerent, Tan/
toque fore uberiora præmia quanto maioribus laboribus
& periculis Cæsari nouum & incognitum Aromatum at
que Auro diuitem Orbem apperuissent. Hac concione

Magellanus suorum animos mitigatos, erectosque esse existimans intra paucos dies, nefaria foedaque seditione afflictus est. Nam uulgo inter nauales Socios coepere sermons de uetere atque æterno Portugallensium atque Castellanorum odio, Magellanum Portugallensem esse, nihil ab eo glorioſius patriæ ſue geri poſſe, quam hanc Classem cum tot uiris perdere, neque credendum, etiam ſi poſſet Moluccas iſulas reperire, cupere. Sed ſatis habi turum ſi Cæſarem aliquot annos uana ſpe poſſit circum ducere, Interim uero noui aliquid euenturum, Vnde Caſtellani ab Aromatum inquifitione prorsus auertantur, Neque item Coeptum iter ad Moluccas illas beatas per tendere, Sed ad perpetuas aliquas niues, ad glaciem & cœli perpetuam intemperiem. Magellanus his diſtis mirifico irritatus corrigit socios, ſed asperius aliquanto quam homini peregrino, idque in regione longinqua præfectu ram gerenti conueniret. Itaque facta conſpiratione nauim occupant, regressum in Hispaniam apparantes. Ille cum reliquis, quos adhuc diſto audientes habebat, nauigium illud inuadit, Duceū eius ac alios præcipuos ſupremo ſupplicio afficit, iis etiam in quos iure id fieri non poterat, eam ſortem ſubeuntibus. Erant enim Regii quidam ministri in quos nemo præter Cæſarem ipsum eiusue Se natum capitali poena animaduertere iure poeteſt. Nemo tamen pro tempore Regium imperium detrectare ausus fuit, licet non defuere qui adiuicem fuſurrarent, Magellanum eo modo in reliquos ad unum omnes Castellanos ſequititia graſſaturum, donec ſublati uniuerſis et medio, ipſe cum paucis Portugallenisbus suis, eadem claſſe in patriam reuerti poſſet. Altius itaque hoc odium peccatore Ca

stellorum infedit. Magellanus tamen cum primum maris procellas & hyemis asperitatē mitescere aduerteret, Solutus ex sinu diuī Juliani. xxiiii. Augusti, utque antea multis dies, terrae tractum in Austrum uergentis fuerat securitus, conspectum est tandem Promontorium quod Sanctæ Crucis appellauere. Vbi dum eos seuerior tempestas ab Oriente exorta deprehenderet, Vna ex quinque nauibus ad littora elisa est, hominibus cum mercibus & armamentis saluis, præter seiuum unum Aethiopem, qui flustibus obrutus, & demersus fuit. Hinc tellus paulo inter Orientem & Austrum protendi uisa est, quam dum more suo Iustrare incipiunt. xxvii. Nouembris, fauces quædam, quæ speciem freti præ se ferrent, detectæ sunt. In creditur eas Magellanus protinus cum uniuersa classe, Vbi dum alios atque iterum alios Sinus conspicit, iubet eos omnes diligenter nauibus collustrare si uspiam trāsitus pateret, quas se ad quintum diem, quæ cunque acciderent, in freti faucibus expectaturum recepit. Vna ex his, cui ipsius Magellani ex fratre nepos Aluarus Meschita præfuit, per sinus ipsius refluxus iterum in mare, unde sinum ingressa fuerat, defertur. Hispani autem cum se longius a reliquis nauibus distare considerarent, facta conspiratione de reditu, Aluarum præfectum nauis suæ in vincula coniiciunt, ac iter sinum Septentrionem uersus capiunt, Suntque tandem ad littora Aethiopiæ delati. Inde parato comitatu Octauio mense postquam a reliquis discesserant, in Hispaniam uenere, Vbi Aluarum causam ex uinculis dicere faciunt quasi ipsius maxime consilio atque suisu Patrius Magellanus tanta saeuicia in Castellanos usus fuisset. Itaque Magellanus, ubi aliquot dies ultra statutum tempus Nauim

hanc expectasset & altera rediisset quæ nihil præter sinum uadousum, Scopulosque & rupes altissimas in littore com perisset, Tertia uero nauis nuntiaret sinum hunc maximam freti similitudinem habere, Quod cum triduo nauigantes exitum quidem nullum, sed quo latius progres si fuissent, angustius maris spatium inuenissent, & eam altitudinem, cuius multis in locis nulla longitudine fundum attingere potuere, animaduertisse etiam ex æstu maris fluxum aliquanto, quam refluxum uehementior rem, Inde illis quoque persuasum esse illac transitum in aliud aliquod Pelagus patere, Statuit per hunc uelutinis dare.

ERAT fretum hoc, quod quidem tunc Fretum esse ignorabatur, Latitudinis aliquando trium, aliquando duorum, nonnunquam decem aut quinque milliariorum Italicorum, Vergebatque paululum in Occidentem. Altitudo autem poli australis duos supra quinquaginta gradus inuenta est, longitudo uero eadem quam ad sinum Sancti Iuliani conperissent. Aderat iam mensis Nouember. Noctem habebant paulo amplius horarum quinque. Nulos unquam Mortales in littore conspexere. Vifa fuit tamen nocte Ignium maxime a sinistro latere multitudo, Ex quo coniecturam faciunt, se ab In colis regionis illius fuisse conspectos. Magellanus autem quod Terram illam fragosam atque insuper Aeternis frigoris rigentem uideret, indignum Iudicabat in ea indaganda plures dies perdere. Quamobrem tribus tantum modo nauibus continuo Cursu in interiora freti uectus est, Donec uigesimo secundo die post quam in eo nauigare cooperat, in aliud mare amplum atque uastum de-

fetur. Longitudinem freti milliariorum Hispanorum fe
re centum esse attestantur. Terram quam ad dextram ha
buissent, Continentem esse quam diximus, haud dubium
est, ad sinistram autem non Epirum sed Insulas esse
existimant, Quod aliquando ex latere illo in ulteriori lit
tore maris repercussum & fremitum audiuerint. Videt
Magellanus Continentem rursus recte in septentrionem
dirigi, Quamobrem iubet dimissa terra illa, ingenti ad
dexteram nauigatione cursum per vastum & Ingens hoc
Pelagus, quod nescio, an unquam nostras aut alienas na
ues conspexerit, recta in eam oram dirigere, ex quo Co
rus flare consuevit, hoc est inter occidentem & septen
trionem, ea quidem ratione ut tandem per Occiden
tem in orientem, ac rursus sub Zonam Torridam perue
niret. Satis enim exploratum habuit Moluccas in remo
tissimo esse Oriente & haud multum a linea Aequino
ctiali posse distare. Huc perpetuus cursus fuit neque ab eo
unquam discessere, nisi quantum tempestatum, & uento
runt uis eos aliquando aliossum declinare coegerit. Vbi. xl.
dies hoc modo uebementi, & ut plerunque, secundo uen
to per altum delati fuissent, rursus uero sub Tropico Ca
pricorni nauigarent, Venere in conspectum insulae dux,
exiguæ tamen & steriles, ad quas dum naues appellere co
narentur, eas inhabitatas inuenerunt. Ad eas tamen cu
rationi & recreationi corporum, nam piscatio satis com
moda, biduum consumptum est, Insulas tamen has In
fortunatas communi decreto appellant. Tum rursus inde
soluerunt pristino illo cui su & nauigatiois instituto. Du
que iam trimestre supra dies uiginti feliciter per altū hoc
ueherētur, ac in gens maris spatium metiti essent, Vastius

quam ullum humanum ingenium caperet, q̄ assidue ma-
gna uiuentorum aeti essent, consisterentq; iam denuo ci-
tra Aequinoctialem lineā, conspecta est illis tandem In-
sula quædam ab indigenis ut postea cognoverunt, Iuu-
ganā nominata. Cui cum proprius accederent, compere-
runt altitudinem Poli Arctici Vndeclim graduum, lon-
gitudinem uero a Gadibus per occidentem. clviii. arbi-
trabantur. Protinus alias atq; iterum alias prospexere, ita ut
se in Archipelagus quoddam ingens delatos uiderent.
Ad Iuuaganam uentum est, attamen Insula inhabita in-
uenta est. Accedunt ad aliam, exilem licet, ubi duas Can-
das Indorum conspicunt, Sic enim hoc genus nauigii
quod peregrinū est, ab Indis nuncupari solet. Est enim
excisum, cauatumq; ex unico arboris trunco, capitq; unū
uel ad summum, alterum hominem. Indiciis ac signis, si-
cut muti cū mutis lequi solent, ab Indis scrutantur noīa
insularū, & unde nam eis commeatus copia subministra-
ri posset, Cuius magna penuria premebantur. Intelligūt
illam in qua fuerāt, Iuuaganam, ubi tunc essent, Acacam
nuncupari, Sed utranque inhospitam, Cæterum haud lō-
ge distare Insulam cui Selani nomen esset, quam & fere
digito ostendebant, Eam habitatam & copiam omnium
rerum, quæ ad Vitæ necessitatē spectarent, in ea reperiri.
Noſtri aquatione in Aaca facta ad Selani tendunt. De-
prehendit hic eos aduersa tempeſtas, ut ad insulam illā
naues appellere nequierint, quin ad Massanam aliam in-
ſulam deieſti ſunt, Vbi trium insularū agit Rex. Inde ad
Subuth peruenere. Ampla hæc eſt & in gens insula, ubi in
ito cum Regulo foedere, protinus in terram descendunt,
ut Sacra de more Christianorum facerent, adētāt enim
festum

festum Resurrectionis illius qui nos saluos fecit. Quare in
littore ex nauium uelis & Ratnis facellum, atq; in eo alta
re Christianorum ritu construunt, patrioq; more sacra fa
ciunt. Accurrit Regulus cū magna Indorum copia, qui
omnibus peractis uisi sunt hoc Deorum cultu delectari,
præfestumque atque aliquos ex præcipuis in tugurium
Regale deducunt, & ea quæ habebant Cibaria apponunt.
panis quem Saga uocant, est ex truncu seu ligno arboris,
hauid multum a palmis dissimilis. hæc frustatim dissecta,
ac in sartagine oleo frixa panem hunc præbet, cuius par
ticulam. R.D.T. mitto. Potus erat humor, qui ex conci
sis palmarum ramis defluere, & manare solet. Aucupia
quoq; Conuiuia ornabat. Reliqua fructus illius erant Re
gionis. Conspicit Magellanus in domo Reguli quandā
aegrum & iam prorsus extenuatum. Scrutatur quis nam
hic esset, & quo morbi genere torqueretur, Intelligit ne
potem illius reguli, & iam Biennio uehementi febre labo
rasse. Iubet eum bono animo esse, si modo se Christo de
uoueret, protinus salutem & pristinam ualitudinem recu
peraturum. Indus condicionem accipit, Crucemq; adora
ta, Baptismum capit. Postridie se in columem affirmat,
surgit ex lectulo, ambulat, cibum sumit ut reliqui, Ne
scio quæ isomnia suis Indis narrat. Quid multa? regulus
ipse cum Indorum duobus millibus supra ducentos Ba
ptizatur, Christiq; nomen & Religionem profitetur. Ma
gellanus autem hanc diutinem auri & Gingiberis esse co
siderat, præter omnia, circumuicinis insulis situ suo adeo
opportunam, ut inde facile earum opes, & terræ mune
ra posset explorare. Quapropter Regulum Subuth adit, il
liq; perstadiet, Cum ipse dimisso uano atq; impio deorū

D

culta, se ad Christi religionem conuertisset, æquum esse
ut reguli proximarum insularum eius Iussui imperioque
parerent, Statuisse itaque se de hac re legatos mitte-
re, & eos qui minus audientes forent, ad hoc armis co-
gere. Placet barbaro Condicio, legati mittuntur. Venit
idem atque alter regulus, & Subuthicum patro more
adorant. Erat proxima insula Mauthan, cuius Rex cæte-
ris militiæ & armis præstabat, ille recusat se eum adora-
turum cui iam diu imperare solitus fuisset. Magellanus,
qui quid coepisset confiscere cuperet, Armari iubet qua-
draginta ex suis, quorum uirtutem & in bello robur per-
spectum habuit, inque Mauthan cymbis uehitur, Proxi-
xima insula erat. Subuthicus Regulus aliquot ex suis ei ad-
iunxit, qui insulæ situm & naturam locorum doceant, &
si in rem esset, acie etiam decerent. Rex Mauthan no-
stros aduentare prospiciens, ad tria millia suorum in Cam-
pum educit. Magellanus suos cum tormentis, Machinis
bellicis licet paucis, in littus exponit, & quanquam se lon-
ge hostibus inferiorem numero animaduerteret, Gen-
tem præterea bellicosam, quæ lanceis & aliis longiori-
bus armis uteretur, Satius tamen duxit cum eis acie decer-
nere quam aut regredi, aut Subuthico milite uti. Iubet ita-
que suos bono atque constanti esse animo, neque terreri
hostium multitudine, Cum sæpe uisum esset, cum aliis,
tum proximis diebus in insula Iuuagana Hispanos ducen-
tos, aliquando ducentena, nonnunquam tercentena ho-
minum millia acie fudisse. Subuthicis uero ostendit, se
non eos ad pugnandum sed ad suorum fortitudinem &
in bello robur spectandum adduxisse. Itaque impetu in
hostes facto pugnatur acriter utrinque, sed cum hostes

numero superarent nostros, & longioribus armis uteren-
tur, quibus nostris multa in commoda inferrent, confos-
sus est tandem ipse Magellanus. Reliqui autem & si non
dum plane uieti uidentur, amissso tamen duce pedem re-
ferunt, Quos, hostes qui in ordine retro cederent, insequi
non audent. Reuertuntur itaque Hispani amissso classis
præfecto Magellano, & aliis sociis septem in subuth. Vbi
nouum classis præfectum eligunt Ioannem Serranum Vi-
rum haud speinendum. Is protinus inita foedera cum Su-
buthico rege nouis munieribus renouat, ac Mauthan Re-
gem se deuictorum spondet. Habuerat seruum Magella-
nus ex insulis Moluccarum ortum quem alias in Moluc-
ca cmerat, hic Hispamicam linguam absolute callebat, &
alio adhibito interprete Subuthico, qui Moluccensis fer-
monis gnarus erat, nostri negotiabantur. Hic prælio Mau-
than eñi interfuerat, & exilia quædam uulnera in eo acce-
perat, Qua de re cubabat toto die intentus ualestudini.
Serranus qui nihil sine eo tractare potuerat, corripit ho-
minem durioribus uerbis, scilicet non desisse seruum at-
que mancipium esse occiso Magellano, sed grauius iu-
gum seruitutis subiturum, & asperrimis loris cæsum iri, ni-
si officiosius demandata ministeria exequeretur. Ser-
vius hic ex his uerbis ingens odium in nostros concipit,
dissimulata tamen ira. Post aliquot dies Regulum Subu-
thicum adit, docet insatiabilem esse Hispanorum auari-
tiam, illisque hoc statutum & decretum, ut deuicto Mai-
thano Rege, in ipsum postea sæuant, & captiuum abdu-
cant, neque aliud rebus suis Remedium adhiberi pos-
se, quam fraudem fraude præuenire. Barbarus om-
nia credit, clam pacem cum Rege Mauthan & reli-

quis facit, & in nostrorum exitium conspirant. Voca-
tur ad solenne conuiuum præfectus Serranus cùm re-
liquis omnibus præcipuis, qui numero, xxvii. fuere. hi ni-
hil mali suspicati, quod Barbari omnia astute dissimula-
uerant, secure, & incaute in terram tanquam ii qui cum re-
gulo cibum sumpturi essent, descendunt. Inter epulan-
landum ab iis, qui in insidiis collocati fuerant, opprimun-
tur. fit Clamor undique, nuntiatur protinus in Nauibus
nostris occisos, & in tota insula hostilia esse omnia. Pro-
spiciunt ex nauibus pulchram Crucem quam in arbore
posuerant, a Barbaris magno furore in terrā præcipitari,
& in fructu se dari. At Hispani reliqui qui in nauibus man-
serant, de sociorum clade edocti maiores insidias Veren-
tur. Quapropter Anchoris sublatis uela uentis ocyus co-
mittunt. Adducitur paulo post ad littora uinctus misere
Serranus, obsecrat a tam dira captiuitate redimatur, Se im-
petrassè ut redimi liceret, modo de suis hoc fieri conce-
datur. Nostri & si ducem turpe hoc modo relinquere exi-
stimabant, tamen fraudem & insidias ueriti in altum ten-
dunt, relieto Serrano misere ad littora lachrymante,
opemque atque auxilium suorum planctu ingenti. Lugu-
brique implorante. Hispani duce sociisque amissis tristes
anxiique nauigabant, non modo calamitate & sociorum
clade perturbati sed quod iam ad eam paucitatem & nu-
merum redacti essent qui ad tres naues Gubernandas im-
par haberetur. Quia de re consilium incunt & continuo
communibus suffragiis nihil magis in rem esse decernunt
quam una aliqua trium nauium igni absumpta, duas dun-
taxat asseruare. accedūt itaq; ad proximā insulam cui Bo-
hel nomen erat, & armamentis in alias duas naues transla-

tis tertiam hanc concremant, Inde ad insulam Gibeth de
feruntur. Quam & si auro & Gingibere, multisque aliis re-
bus felicem cognoscerent, diutius tamen ad eam non mo-
randum cen serent, qd Indos illos nulla benevolentia, ad
se alicere potuerint, Armis autem decernere paucitas pro-
hibebat. Illinc ad Porne insulam tendunt. Duæ in hoc ar-
chipelago insulæ erant ingentes, amplæque, quarum alte-
ra Solol dicta, Cuius Rex sexcentos liberos habebat. Al-
tera quam diximus Porne Solole maior est, Quippe quæ
nauigatione sex mensium ambiri uix posset, Porne autem
trium. Sed quemadmodum illa uastior, Ita hæc & terræ
foelicitate beatior, Et urbis eiusdem nominis magnitudi-
ne clarius est. Sed cum Porne insulis cæteris quas haec-
nus collustrassent, nobilior haberetur, & unde cæteræ bo-
nos mores Vitæq; cultum accipere uidebantur, statui ho-
rum populorum mores & instituta paucis attingere.

SVNT omnes hi insulani caphre, hoc est Gentiles. Solem
& Lunam deos colunt. Soli diei, Lunæ uero noctis impé-
rium ascribunt. Illum marem, hanc foeminam dicunt, at-
que hos cæterarum stellarum parentes uocant, quos om-
nes deos esse (minutos tamen) arbitrantur. Solem orien-
tem certis carminibus salutant potius quam adorant, Ité-
lunam noctu fulgentem, a quibus liberos, fœcundam pe-
coris foeturam, terræ uberes fructus, aliaque id genus de-
posunt. Cæterum pietatem & iustitiam colunt & præci-
pue Pacem atque otium amant, Bellum uero maxime de-
testantur. Regem suum dum paci studet, ut deum colunt,
cum belli cupidior sit, non quiescunt donec hostium ma-
nu in acie ceciderit. Qui ubi bellum gerere statuit (quod
raro fit) primus a suis in acie collocatur, Vbi omnium ho-

stium impetum sustinere cogitur. Neque strenue in hos
stem inferunt sese, nisi donec regem suum occisum intel-
ligunt. Tunc enim primum pro libertate & futuro rege
pugnare incipiunt, Neque unquam apud eos uisus est
Rex belli author qui in acie non ceciderit. Qua de re ra-
ro bella gerunt, fines pretendere iniquum putant. Om-
nibus autem præcipuum est studium, ne finitos popu-
los aut peregrinos iniuria lacestant. Verum si quando ip-
si lacesisti fuerint, par pari referunt, & ne res latius serpat
protinus ad concordiam spectant. Neque quicquam
apud eos gloriiosius esse poterit, quam si quis prior pa-
cem petierit, Neque item magis indecorum quam in pa-
ce petenda præuentum esse. fœdum autem atq; detesta-
bile censem pacem petenti negare, Etiam si quis iniuria
lacestus fuerit. Nanque in huius exitium finitos omnes
tanquam dirum atque impium protinus cōspirant. Quo
fit ut omni fere tempore tranquillitate & otio fruantur.
Nulla apud hos latrocinia, cædes etiam nullæ. Nemini re-
gem preterquam uxoribus eius & liberis alloqui fas est,
non nisi eminus per Cannas quas auri illius apponunt, &
quicquid uolunt, per eas insurserant. Post mortem ho-
mini nullum esse sensum dicunt, q; nec ullus ante natalē
fuisset. Aedes habent exiles ex lignis & terra constructas,
partim rudere, partim Palmarum frondibus coopertas,
In Urbe Porne. xx. millia domorum esse certum habetur.
Vxores ducunt quot alere possunt. Cibo utuntur quem
aut auicipium aut piscatio præbet. Panem ex Oriza con-
ficiunt, Potum ex liquore, qui de concisis Palmarum ut
diximus, ramis stillat. Alii mercaturam in propinquis in-
fulis faciunt, ad quas Iuncis deferuntur. Alii uenationi,

alii Piscationi, alii Agriculturæ student. Vests habent
ex Gossampino, Animalia fere etiam omnia quæ apud
nos sunt, præter Oues, Bouem & Asinum. Equi tamen
peregrini, & exiles sunt. Camphoræ, Gingiberis, Cyn-
namomi magnus apud eos prouentus. Inde nostri rege il-
lo Salutato, & muneribus condonato, ad Moluccas tenu-
dunt, quæ illis ab eodem Regé commonstratæ fuere.
Venient ad littora insulæ, ubi Margaritas magnitudine
ouorum Turturum, aut aliquando Gallinarum intelli-
gunt, quas tamen non nisi in altissimo æquore expisci
possunt. Nostri huiusmodi Vnionem non attulere, q[uod] an-
ni tempus illarum punctionem non præbebat, coepisse
tamen ea in regione Ostream attestantur, cuius Caro se-
ptem supra quadraginta librarum esset. Hinc facile cre-
diderim tantæ magnitudinis Margaritas illic reperiri,
cum satis constet Vniones Concharum partem esse. Et
ne quicquam prætermittam constanter nostri asserunt
narrauisse Insulanos, Porne Regem gestare in Diadema
te Vniones duos ouii anserini magnitudine. hinc ad in-
sulam Gilonem uentum est, Vbi homines confspexere Au-
riculis longis atque adeo pendulis ut humeros attinge-
rent, quæ cum admodum admirarentur nostri, ab indi-
genis intelligunt non longe distare aliam insulam, Vbi
homines essent nō solum pendulis sed adeo latis, amplis
que Auriculis, ut cum exusu esset, altera eorum uniuersi-
sum caput, contegerent. Nostri autem qui non monstra-
sed aromata quererent, omissis nugis, recta ad Moluc-
cas tendunt. Octauo mense postquam præfectus eo-
rum Magellanus in Mauthan occubuerat, ab eis reperi-
tae sunt insulæ,

Sunt numero quinque, Taranthe, Muthil, Thedor*i*, Mare, & Mathien nūcupatur, tum citra, tum ultra, tum etiam sub ipsa æquinoctiali situ. Alia Gariophilum, Alia Myristicam nucem, Alia Cynamomū gignit. Vicinæ sunt omnes, sed paruz atque angustae admodum. Reges illarum paucis ante annis immortales animas esse credere coeperre, haud alio argumēto ducti quam quod Auiculam quādam pulcherrimam, nunque terræ, aut cuique aliæ rei quæ in terra esset, insidere solitam animaduerterent. Sed ali quando ex summo æthere exanimem in humum decide re. Et cum Mahumetani, qui commercii causa ad eos cōmearent, hanc auiculam in Paradiso ortam, Paradisum uero locum animarum quæ uita finita essent, attestarētur, Induerunt hi Reguli Mahumetis sectam, quod hæc de hoc animarum loco mira polliceret. Auiculam uero Manuccodiata appellauerunt, quam adeo iuste, sancte, religioseque habēt, ut se ea reges in bello tutos existiment, etiā si suo moe in prima acie collocati fuerint. Plebei autem Capphre sunt, & eiusdem fere moribus, & institutis, quibus insulanos Porne ostendimus. Sunt autem egentes ad modum, ut pote apud quos nihil præter Arcimata proueniunt, quæ cum uenenis, Arsenico, & Mercurio sublimato uulgare appellatis, ac linteis, quibus ut plurimum ueniunt, libenter comutant. in quem uero usum his uenenis utantur, Nondum satis compertum est. Viuunt pane Saga & piscibus ac nōnunque psitacis. latent Tuguriolis demissis admodum. Quid mulra? Omnia apud hos humilia, & sordida præter pacem, otium & Aromata. Quorum alterium & quidem pulcherrimum, summumque bonum, ingens mortalium iniquitas ex hoc nostro Orbe relegasse, ad

legasse ad eos uidentur. Aromata uero tum auaritia, tum
insatiabilis gulæ aviditas, nos in ignoto etiam orbe illo/
rum quæcunq; haud longe satis nequit pretendere, neq; quæ
luxus & libidinis appetere. Nostri uero Moluccarum situ
diligenter inspecto, & cuiusq; insulæ prouentibus, præte
rea Regulæ moribus exploratis, ad Thedori accedunt,
q; hanc copia Gariophili cæteris ante cellere, Regem ue/
ro prudentia, & humanitate reliquis regibus præstare, in
telligebant. Paratis itaque muneribus in terram descen/
dunt, ac Regem salutant, præbentq; munera, tanquam a
Cæsare missa. Ille muneribus acceptis, benigne in coe/
lum suspiciens, iam inquit Biennium agitur, Quum uos
a maximo Rege, ad inquirendum has terras dimissos, e sy
derum ratione cognoui. Quare aduétus uester, tanto mi
hi gratiior, iucundiorq; est quanto Astrorum significatio
ne diutius mihi præscitus fuit. Et cum nihil huiusmo/
di euenire scio quod non iam diu fatorum, & syderum
decreto statutum sit, non is ero, qui aut fatis, aut syde/
rum significationi aduersari moliar, sed uolens libensq;
post hac deposito Regio fastigio me tantu Regis uestri
nomine, huius Insulæ procuracyem gerere existimabo.
Quare naues in portu subducite, & reliquos socios in ter
ram tuto descendere iubetote, Ut nūc tandem post tā lō
gain maris iactationem totq; rerum pericula securer
ræ benignitate frui, & corpora curare possitis. Neque
aliud existimate quā uos ī Regis uestri regnū uenire. His
dictis, deposito Diadematè singulos amplectis, & q; ter
ra illa alimenta habebat, afferri iubet. Nostri hac re lætati
ad socios redeunt, ac quæ acta sunt, renuntiant. Hi hac re

E


gis comitate & benevolētia lētati Insula potiuntur, Vbi
cum aliquot diebus & regia munificentia fuissent recrea-
ti, Inde ad reliquos reges legatos mittunt ad insularū co-
pias explorandas, & Regulorū animos conciliandos. Ta-
rāthe proxima erat, & hæc quoq; minima est insula, quip-
pe quæ paulo ultra Sex milliariorum Italcorū ambitum
habet. Est hic proxima Mathié & ea exilis. Hæc tres Gario-
phili magnam copiam gignunt sed longe uberiorem in
quartum annū. Arbores hæc nō nisi abruptis rupibus pro-
uenire solent, & ita densantur ut plerunq; lucum faciant.
Arbor hæc tum foliis, tum crassitudine, tum ipsa etiam
altitudine lauro simillima est. Gariophilum quod uulgo
a similitudine clavium nominant, nascitur ex summis fin-
gulis ramusculis, Corolla primum, tum in eo flos, haud
alius quam mali aurei prodit, aciesq; seu cuspis ipsi Gario-
phili summo stipiti insidet, donec paulatim in longum
exurgens, mucronem efficit. Rubescit primum, mox sole
tostū nigrescit. Huius arboris sylvas inter se, & quemad-
modum nos Vineas, indigenæ partitas habent. Gariophi-
lum Syris condunt, donec alio a mercatoribus transfe-
tur. Quarta Insula Xluthil haud cæteris maior. Hæc Cyn-
namomum gignit. Arbor hæc surculosa, & alioqui steri-
lis, siccitate gaudēs, simillima est arbori, quæ malum fert
punicum, huius cortex ad solis calorem dehisces a ligno
auellitur, & paululum ad solem detostus fit Cynamo-
num. Huic propinqua alia est insula quæ Badā appella-
tur Moluccensib. insulis maior ampliorq;. in ea myristica
nux nascit, cuius arbor Procera, ampliæ est, arbori, quæ
Nucem Iuglandem fert, admodum similis, neque hæc
nux aliter quam Iuglans producitur, gemino protecta


operimento, puluinati primum calicis, sub hoc tenuis mē
brana, quæ reticulatim nucē amplectitur, Hęc apud nos
Muscatæ flos, ab Hispanis macis vocatur, nobile atque sa-
lubre aroma. Alterum operimentum ligneum est puta-
men ut Auellanæ, Cui, quam diximus, ipsa nux inest mu-
scata. Gingiber uero passim in singulis insulis huius Archi-
pelagi nascitur. Aliud seminatum, aliud sponte prouenit,
Sed quod seminatur nobilior est. Herba similis illi quæ
Crocū feit, & eo modo eius radix fere nascitur quæ Gin-
giber est. Nostri ab regulis singulis benigne suscepiti fue-
re. Et exemplo regis Thedori sese Cæsaris imperio ultiro
submisere, at hispani qui non nisi unam atque alteram ha-
beret nauim, statuere de singulis quidem aliquid afferre,
sed naues Gariophilo onerare, q̄ huius anno illo uberior
prouentus fuisset, & huius generis aromatis maiorem co-
piam naues ferre possent, impletis itaque Gariophilo nau-
ibus & litteris muneribusq; a regibus ad Cæsarē acceptis
discessum parāt. litteræ plenæ fidei, atq; obseruatiæ, mu-
nera erant enses Indici alia que id genus, sed præcipuum
donum Manucca dicta, hoc est Auicula illa Dei qua se in
prælio tutos inuestitosq; putant. harū quinq; fuere missæ.
Vnā impetraui a præfecto nauis, quam, R.D.T. mitto nō
quod se ea ab infidiis & ferro tutam putet, ut illi perhibet
sed quod eius raritate & pulchritudine delebetur. Mitto
quoque & Cynamomi & muscatæ & Gariophili ali-
quid ut cognoscat nostra aromata iis quæ Veneti & Por-
galleni afferunt, no biliora, recentioraq;. Nostri dū ex The-
dori soluiscent, ecce altera nauis & maior quidē, uicio fra-
cta aquā hausit, ita ut ad Thedori regredi necessum fuerit.
Hispani dum hoc incommodum non nisi magno nego

tio , & in multorum dierum spatio posse tollere animad
uerterent , Conuenere Ut altera nauis ad promontorium
Cattigaræ inde per altum quam longe posset , a , littori
bus inde ueheretur , ne a Portugallensibus conspici pos
set , donec promontorium Africæ quod ultra Capricor
ni tropicū protendit , & cui Bonæ spei portugallenses no
men indidere , in conspectum ueniret , quod inde haud
difficilis in Hispaniam esset nauigatio , altera uero nauis ,
cum primum refecta rursus per archipelagus , uastumque
illum oceanum ad littora illius Continentis quam supra
memorauimus , Cursum caperet , donec eam oram repe
riret , que e regione Danenis esset , Vbi angusto admo
dum terræ spatio , Australe illud mare ab occidental i in
quo castellanorum sunt insulæ , disiungitur . Soluit itaque
denuo ex Thedori nauis altera & citra æquinoctiale ad
duodecim gradus uecta Promontorium Cattigaræ
quod Ptolemæus longe etiam ultra æquinoctiale pro
tensus arbitratus est , non inuenere . Sed postquam ingens
maris spatum demensæ essent , ad Promontorium bo
næ spei , Inde ad insulas Hesperidum delati sunt . Et cum
hæc nauis hac nauigatione concussa aquam admitteret ,
Non potuere nautæ quorum iam multi etiam rerum &
nauigationis in commoditate perierant , ev' haurienda sen
tinæ satagere . Qua propter in unam insularum quæ . S. Ia
cobi nuncupatur , descenderunt ut seruos emerent . No
stri autem dum pecuniam nautarum more non haberent ,
Gariophilum pro seruis offerunt . Quare per portugallen
sem qui in illa insula magistratū gerit intellecta , tredecim
ex nostris in uincula coniecti sunt , reliqui , qui numero de
cem & octo erant , hac rei nouitate territi dimissis sociis

continue in Hispaniam tendunt, quo.xvi.mense postquā
ex Thedori discessere, salui atque in columnes.vi.Septem-
bris ad portum Hispali propinquum peruenere, Dignio-
res profecto Nautæ qui Aeterna memoria celebrentur,
Quam qui cum Iasone ad colchidem nauigarunt Ar-
gonautæ. Nauis autem ipsa multo dignior ut inter Syde-
ra collogetur, quam uetus illa Argo. hæc nanque ex Græ-
cia duntaxat per Pontum uecta est, Nostra uero ex Hispa-
li austrum uersus, Indeque per uniuersum Occidentem,
perq; inferius Hemisphærium in Orientem penetrans iur-
sum in Occidentem remeauit.

R O M A E
IN AEDIBVS . F.
MINITII CALVI
ANNO .M.D.XXIII
MENSE NOVEMBRI.







gusto e non avendo compreso
per intero la sua intelligenza
e la sua vita segreta e
sempre le sue leggi e regole
di vivere bene fai talia
cosa leggera quale non ha
mai compiuto

1528. 5/5

3

1





J523
M 417e





